



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XLIII. De his qui occupant, inuadunt aut vsurpant sibi ecclesiastica bona.
Ex statuto domini Ioannis Tusculani, quod incipit: Dignum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

X L I I I .

*De his qui occupant, inuadunt aut usurpant sibi ecclesiastica bona. Ex statuto domini Ioannis Tusculani,
quod incipit: Dignum . . .*

ANNO
CHRISTI
1429.

Sæculares ecclesiasticæ personæ, quacumque dignitate præfulgeant, (Romanorum dumtaxat rege & eius coniuge & filiis exceptis) * ecclesiæ & ecclesiastica bona, iura & iurisdictiones, seu ecclesiarum vassallos publice occupare aut inuadere, vel scienter usurpare, seu occupatoribus, inuasoribus, aut usurpatoribus huiusmodi potestatem quomodolibet, auxilium vel fauorem * præsumperint: nec non qui bona ecclesiarum titulo pignorum detinent obligata, a quibus receperint ultra fortem: nisi requisiti infra mensem satisfecerint, ipso facto excommunicati, & terræ ipsorum ecclesiastico subiacent interdicto; quod clerici terræ offenditorum ad solam denuntiationem prælati offensi obseruare tenentur: alioquin ante satisfactionem coram celebrante a diuinis sunt ipso facto susensi.

X L I V .

*De eodem, ex statuto eiusdem domini Ioannis Tusculani,
quod incipit: Nullus de cetero.*

Qui prætextu guerrarum, quas habent cum aduocatis ecclesiarum, earumdem ecclesiarum bona subripuerint, aut ecclesiæ ipsas, aut earum villas & loca incendio vel hostilitate deuastant, aut homines earum suis bonis spoliant, excommunicati sunt ipso facto; nec possunt, nisi sufficienter emendauerint, absolvi.

X L V .

*De eodem, ex statuto eiusdem domini Joannis, quod
incipit: Prohibemus.*

Qui propter debitum aut fideiussoriam obligationem alicuius personæ singularis, bona ecclesiastica ad ipsam ecclesiam & capitulum communiter pertinentia ceperit, seu spoliauerit, nisi requisitus infra quindecim dies a die requisitionis numerandos restituerit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrit.